quis enim fama reliquis praestitit, qui mali nominis
infamia inglorius fuit! Neque Ursicini Principes
tantum Urso nomen suum debent, sed et illa Christianae
Fidei Panthasilea, Romanae religionis Caelia, Catho-
licae fortitudinis praestantissima Heroina, Ursulam
dico, Ursis nomen in acceptis referre debet; quid
duos Principes illos, Ursos referam, quorum alter pietate,
iustitia alter clarissimus extitit, quid Baluia Urbis,
nobile cognomen Ursae? quid Thebaidis exercitus
Hectorem? quid Augustanum Achillem? quid tres Epis-
copos, pastoresque vigilantissimos commemorem? quos
omnes ne longior sim prolixior sim sileo; et silerem
etiam sydera illa splendidissima Arcton, et Antar-
cton, minorem scil. et maiorem Ursam, nisi scire vos
vellem, eam esse Ursi praestantiam, ut ad caelestium
illarum pulchritudinem perfectionem Ursis opus sit,
quos si e superis exturbaveris oculum caelesti
Argo abstulisti, quid enim Sydera aliud sunt, quàm
divinae providentiae oculi: ne verò quae supra nos
sunt disquiram, atque Astrologi officium occupare videar,
libet in Ursi oeconomiam censoria (ut quondam Romani)
potestate inquirere, in qua bene gerenda quid deside-
ret Socratem interrogo, quem sic respondere arbitror:
Oeconomus non sit ignarus locorum, sit naturâ ingeniosus,
mente iustus, ac laboriosus, quae ubi in Urso nostro
invenerimus, oeconomum esse ne obsecro negate.